

§. 17. Illi contra: *inter quos ab Amplissimo Dn. Beehm. in laudato tractatu c. 12. §. 1. referuntur Valentia, Vasquez Bellarminus & Salmero*, qui duplicem tantum faciunt scientiam Dei, aliter procedunt: Neque enim prius objectum in primum & secundarium distinguunt, sed objectum scientiæ divinæ ut sic distribuunt in id quod aliter se habere nequit, & id quod aliter se habere potest. Eorum quæ se non possunt aliter habere, scientiam, vocant naturalem, & ad eam revocant (α) ipsum Deum. (β) quælibet extra Deum possible sub ratione possibilitatis spectata. Ut enim possible hæc, quæ præter Deum dicuntur, naturaliter & necessariò absolutè non existant, sed contingenter cum ipsis aliter se habere, & non existere non repugnet, omnia enim habent esse participatum & dependent ab influxu conservativo Dei: Nihilominus tamen repugnat ipsis, ut à possibilitate in classem impossibilium degenerare queant, & manifestam implicat contradictionem, possibile sive id quod fieri non repugnat & esse potest, esse vel fieri impossibile sive tale quod fieri repugnat & esse nequeat, & propterea rectè ad scientiam naturalem pertinent. Eam autem quæ circa objecta quæ se aliter habere possunt, versatur scientia, vocant scientiam liberam. Etei objiciunt omnia extra Deum in aliqua temporis differentiâ, existentia, sive ea fuerint, sive sint, sive futura sint, idque vel absolutè vel conditionatè.

§. 18. Et hi mediam scientiam inter Naturalem & liberam non admittunt si propriè sumuntur: (Alias si scientia necessaria minus propriè sumatur pro ea quæ antecedit decretum, & libera pro ea quæ posterior est decreto, media inter eas dici potest, cum nec antecedit nec sequatur decretum, sed illud concomitantè includat tanquam unam è conditionibus.) Ratio est, quia π naturale & liberum rationes contradictorias involvunt: Naturale enim est quod non potest, liberum contra, quod potest aliter se habere. Jam vero inter contradictoria non datur medium. Si quæras quorsum referendum sit objectum scientiæ mediæ sive futura libera conditionata, respondebunt illa futura dupliciter posse spectari (1.) formaliter sub ratione futuritionis in quantum si conditio impleretur actum entitativum acquirerent (2.) non sub ratione futuritionis, sed possibilitatis, in quantum ipsis non repugnat existere casu quo impleretur, posita, à quâ suspenduntur, conditio. Priori consideratione integrabunt objectum scientiæ liberæ; posteriori